

rum voluntati, quantum in se fuit, semper obtemperatum voluisse: missurum itaque se fratrem Venetias, qui coram quacunque acta essent, probaret. Alexander postea cum Angelo Simoneta & Andrea Birago est ab eo missus: qui, re aliquandiu per altercationem jactata, paucis diebus re infecta Ferrariam primo, inde ad Sforciam abierunt. Apud quosdam reperio, pacem ab eis solenni more probatam: sed Sforciam, quasi, se nihil jubente, id ab Alexandro & aliis esset actum, recipere noluisse. Exeuntibus igitur induciis, quæ in aliquot dies ad pacis conditiones probandas pactæ fuerant, pax inter Venetos & Mediolanenses composita ac publicata est: in qua, nisi manifeste appareret, quid Veneti novo illo fœdere sint secuti, videntur suo veteri decessisse instituto: quippe qui, Sforcia relicto, novam societatem essent complexi. Sed recte, ne dicam merito, id factum, quia a Sforcia & ipsi non multo ante destituti fuissent: neque enim venia dignus est, qui alieno peccat exemplo. Libertatis studium, quam nunquam minus studiose in aliis civitatibus, quam in sua Veneti protexerunt, effecit, ut fœderum obliti novos sint socios secuti. Nec est, cur ob id aut perfidiæ eos aut avaritiæ insimulare possit quisquam, si quis dico rem æque æstimare voluerit. Nihil enim ex fœdere quod cum Mediolanensibus est percussum, plus ad Venetos ex Philippi rebus perventurum erat, quam ex eo, quod jam anno ante cum Sforcia fuerat ictum. Neque amico Principi non consultum voluere, quippe cui omnia fere quæ Philippi fuerant, præter Mediolanum, quod in libertate retinere cupiebant, & Laudem, quæ illis tributaria jam antea facta fuerat, relinquenda censebant. Rati, his conditionibus illum acquieturum, de pace cum eo agere cœperunt; neque occulte quicquam aut dolo malo cum illo actum: res, ut erat, aperte, & penes ipsum, ab initio tentata. Sic quoque cum Philippo olim pro Florentinis sumpta sunt arma. Solenni denunciatione (ut liberum potentemque decet populum) tam huic quam illi illatum est bellum. Verum invictus dux fœlicissimo consilio maluit victoriam, in cujus possessione erat, quam Venetum sequi: bellumque adversus utrumque populum suscepit, susceptumque virtute sua & fortuna ex sententia confecit.